

## Caudio Beneventum m. p. XI a Capua m. p. XXXII

5994 [= 6286] cippus quadratus altus m. 1.55, latus m. 1, rep. prope Montesarchium versus S. Martini in contrada Riello ad pontem viae Appiae vicinum, nunc extat Montesarchii in aedibus Nicolai Palombae EGO a. 1845. Iam nel casino di Bartolomeo de Ambrosio DRESSEL.

IMP · CAESAR  
M · AVRELLIVS · ANTONI  
NVS · PIVS · AVGVSTVS  
FELIX · PARTHIC MAX  
5 BRITTANNIC MAX  
GERMANICVS · MAX  
PONT · MAX · TRIB POTEST  
XVII · IMP · III COS · IIII · P · C · 214  
P · P · PROCOS  
10 MUNITIONES ALUEI CONLAB  
SAS CVM SUBSTRUCTIO  
NE RESTITVIT et LABE AG  
GERIS CADENTES PROCVR  
SVI FLVMINIS REDDIDIT

Descripsi ego, recognovit Dressel et ectypum vv. 9—14 fecit. Garrucci diss. arch. 1, 84, Ben. p. 40 ad ectypum gypsaceum.

9 O ante S et 10 /N · TIONI// ego olim vidi, hodie desiderantur. Eorum quae supersunt lectio certa est, quamquam multarum litterarum superstitum particulae quaedam desiderantur. — 11 secunda littera mihi in ectypo visa est A esse, Garruccio V; Dresselius eam non habet. — Supplementa ex parte Garruccio debentur, nisi quod is proposuit *marginem ripae conlabsum*, item postea *labe aggeris cedentem*, cum vestigia flagitent aut id quod posui *labe aggeres cadentes aut labe aggeris cadentes*. Ego illud alio loco (X, 6922) praetuli, cum munitio ipse agger sit nec recte videatur admitti posse labe aggeris munitiones cadere; hoc magis probat Bormannus et fortasse recte.

5995 inscriptionem pontis Apolosani refecti a. 198 ab imp. Severo et Antonino rettulimus supra n. 2122.

5996 Beneventi posta in opera nella cantonata dell' edificio detto la congregazione di S. Antonio.

DN # CLAVDIO  
IVLIANO PIO FELICI  
INVICTO · AVGVSTO  
BONO REIP NATVS  
5 XXI

Recognovit et emendavit Dressel. Garrucci diss. arch. 1, 80, Benev. p. 39 descripsit.

Scriptum fuisse in lapide titulum quem dedimus bis repetitum, scilicet quod via ibi angulum faceret (!), ut ..LA [immo DN] .. | ..O IV [immo IV] .. | ..I ex priore exemplo supersint, reliqua ex altero, Garruccius sibi persuasit neque intellexit quae cernuntur ad eundem titulum omnia pertinere. Id iam confirmavit exemplum Dresseli supra propositum accuratum et plenum, nisi quod extremae versuum litterae in muro latent. — 5 cum numerus plenus sit, lapis ab ipso Caudio Beneventum pervenerit necesse est.

5997 [= 6293a] Beneventi in columna prope domum Horatii de Leone PACCA (B et A) VITA. Hodie in archiepiscopio.

DN FL  
CLAVDIO  
IVLIANO · AVGVSTO ·  
PIO · FELICI · INVICTO ·  
5 BONO · REIP NATVS  
'corr. ex dono' Dressel.

Descripsi ego, recognovimus Dressel et ego. Cod. Paccae B itemque schedula adiuncta ad Paccae cod. A; de Vita p. 204 et cl. 4 n. 7 (inde Donat. 151, 4); Garrucci diss. arch. 1, 80 (cf. Ben. p. 39).

## XI. VIA TRAIANA. Benevento Brundisium.

Benevento Brundisium Strabo 6, 3, 7 p. 282 scribit iter fieri duabus viis, altera Appia longiore, sed curribus magis apta per Tarentum, de qua agatur capite XIV, altera brevior et equo vehentibus idonea per Apuliam, quam describit sic: ἡμιονική διὰ Πευκετίων, οὗς Ποιδίχλους καλοῦσι, καὶ Δαυνίων καὶ Σαονιτῶν μέχρι Βενεουεντοῦ, ἐφ' ἧ ὁδῶν Ἐγνατία πόλις (vide supra p. 28), εἶτα Καλία (immo Καιλία, vide p. 30) καὶ Νήτιον (immo Ezelium; cf. supra p. 26 n. III) καὶ Κανόσιον (supra p. 35) καὶ Ἐρδωνία (cf. p. 64). Quo modo iter fieret Herdoniis Beneventum, ad quod hanc viam in Appiam incidere diserte ait, Strabo non explicuit; succedit autem in eum locum quodammodo Cicero ad Att. 6, 1, 1 significans ab urbe Brundisium iter factum esse per Aequum tuticum (cf. supra p. 122). Circuitus, quem ita via facit, ratio et causa patet; Luceria cum primarium locum teneat in Italiae inferioris occupatione, mature via a Benevento munita est eo et inde Sipontum, quo item colonia saeculo urbis sexto deducta est (cf. p. 66). Ea autem via per Aequum et Aecas transierit necesse est. Omnino Aequum tuticum sive Equus tuticus (utra enim forma vera sit, adhuc ambigitur), de quo quae traduntur composuimus p. 122, licet omni tempore vici exigui condicionem non egressum rei viariae Italiae inferioris tamquam cardo fuit, quadrivium scilicet viarum duarum primariarum, alterius hinc Romam ducentis per Appiam, inde Brundisium per Traianam, alterius autem hinc pergentis Luceriam et ad mare superum, inde Venusiam

et ad fretum Siculum. Neque causa latet, cur Aequum potissimum cardinem viarum Romani fecerint; scilicet cum Roma Brundisium numerentur m. p. CCCLXXI, media via incidit in ipsum Aequum, quod distat ab urbe m. p. CLXXXVI, a Brundisio m. p. CLXXXV. Eandem fere viam Horatius tenuit (sat. 1, 5) Roma proficiscens Brundisium, nec magno pere offendit, quod via Straboni est ἡμιονική, Horatius autem raeda iter fecit; nam passim queritur post Appiam relictam de viae statu neque aliud Strabo opinor significavit nisi commode hac via curru vehi non posse. Sed differunt duo itineraria eo, quod Strabo diserte ait a Benevento Appiam relinqui et iter fieri Herdonias, Horatius autem a Benevento ad villam Trevici per unum diem omnino Appiam secutus est (v. p. 602), a Trevico deinde proficiscens Herdonias a laeva relictis post iter m. p. XXIV altero hospicio usus est in oppidulo quod versu dicere non est, quo Ausculum significari supra p. 62 vidimus, postero die Canusium pervenit, inde per Rubos Barium Gnathiam Brundisium, quae mansiones conveniunt cum Strabonianis.

Ad viam de qua agimus cum aetate liberae rei publicae colonia nulla fuerit, probabile est tam ea aetate quam tempore Horatii et Strabonis non publicam fuisse populi Romani, sed munitam per singula territoria a municipiis. Primus hanc viam aut publicam fecit aut certe publice munivit Traianus, a quo Traiana nuncupata est. Nomen neque auctores nostri habent neque itineraria; habent nummi (Eckhel 6 p. 421